DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
TVMORIBVS OEDEMATOSIS
EX
FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS
ORIVNDIS

QVAM
PERMITTENTE
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
PHILIPPO FRIDERICO
GMELIN,
MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.
SOCC. REG. SCIENT. LOND. ET GOETT. SODALI,
PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO
ÆTERNVM PIE COLENDO
AD
CONSEQVENDOS SVMMOS IN MEDICINA HONORES
A. D. XIII. *Octobr. A. MDCCLXII.*
H. L. Q. C.
DEFENDET
AVCTOR
IOHANNES THEOPHILVS EBERHARDVS BOEHM,
Stutgardianus.

Tubingæ, TYPIS IO. AD. SIGMVNDI.



§ 1.

De *Tumoribus Oedematosis* scripturus, nec Inflationem corporis quamcunque *a)*, nec solos pedum tumores phlegmaticos contemplabor *b)*: sed omne illud œdematis genus, quod Hippocrati molle audit, nec dolet, & pressum digitis cedit *c)*. Singularem ejus ante oculos habeo speciem in rubro dissertationis indicatam; quædam tamen ad notiones generales spectantia, & tractationem specialem collustratura dogmata præmittere non tædeat.

a) De hoc significatu *Galenus* Commentar. in Aphorismos Hippocratis L.V. ad aph. 65. docet: Omnes præter naturam tumores Hippocrates Oedemata, id est, Inflationes nominat.

b) Hi κατ᾽ ἐξοχὴν vulgo vocantur Oedemata, ceteri alias corporis partes obsidentes, aliis insigniuntur nominibus. confer. *Jo. Zachar. Platner.* Institut. Chirurgiæ rationalis, edit. germ. §740.

c) Vid. *Hipp.* Prognost. 38. *Galenus* Comment. ad hunc locum, Hoc est, inquit, quod proprie Medici Juniores appellant Oedema.



§2. Definitur mihi *Oedema*, quod ſit hydrops particularis, quo phlegma interſtitia membranæ celluloſæ inundans intumeſcentiam præternaturalem format. Alii genus proximum Tumorem prædicant *a)*: nec perperam, pro vario morbos diſpeſcendi fundamento.

a) Schelhammer Ὀγκολογια. pag. 63.

§3. Cum ſit illuvies phlegmatica, qua tumor attollitur, *Hydropis* ſpeciem *a)* Oedema conſtituere nullus dubito. Certe hydrops ἀνα σαρκα ab œdemate non diſtinguitur, niſi tumoris extenſione, & quæ huicce augmento debentur, ſymptomatibus. Clariora fient, quæ jam dixi, ſi conferre invicem lubeat, quæ Celeberr. BOERHAAVE tam de Oedematis, quam de Hydropis ἀνα σαρκα eſſentia tradit *b)*. Conſpirat Clariſſ. LANGHANS, qui docens, hydropem ἀνα σαρκα eſſe nimiam aquæ ſecretionem in adipoſam telam ſubcutaneam, annotat, quod Ὀιδημα dicatur, ſi aqua hæc unice in pedibus continetur, nec ultra aſcendit crura, tumoremque ibi aliquem laxum, album & mollem producit *c)*. Propter momenta vero accidentalia, cujus cenſus ſunt, quæ Celeberr. FR. HOFFMANNUS in medium profert *d)*, ſpeciem morbi à ſuo genere ſejungere nolim.

a) Conf. de *Gorter* Compend. Medic. Tr. 35. §1.

b) Prælect. in Inſtit. Tom. VI. pag. 84. & 85.

c) Diſſert. de Conſenſu partium corporis humani §5.

d) Medic. rat. ſyſtem. T. IV. Cap. XIV. de Hydrope §26.

§4. Membranam Celluloſam pluribus delineare ſuperfluum arbitror, utpote ſagaci naturæ ſcrutatorum, præſertim Ill. ab HALLER induſtria eleganter evolutam. Sedem ipſam eſſe phlegmatis œdematoſi, cadaverum ſectionibus didici; & ſuffragio ſuo theſin tuentur adcuratiores Anatomici. Ita ſententiæ Cl. SCHELHAMMERI, qui œdema fieri aſſerit, ſero in

mediis

mediis carnibus ſubſiſtente *a)*, unicam ex plurimis oppono auctoritatem Boerhaavii, qui aquam in ipſis muſculis rarius reperiri demonſtrat *b)*.

a) loc. cit. pag. 62.

b) Prælect. Tom. VI. pag. 84. confer. etiam Tom. III. pag. 517.

§5. Determinatè in *Interſtitiis cellularibus* coacervationem phlegmatis, ceu aquæ ſanguinis è rubris vaſis huc depoſitæ, tantum non ſemper contingere, perſuaſum mihi habeo. Bullulæ, quas ſectionibus anatomicis intentus in corporibus hydropicis ſæpe numero intuitus ſum, videbantur mihi id genus cavernulæ, liquamine hydropico turgentes. Nec pudet ſubſcribere hypotheſi, quæ phænomenis extricandis adpoſite ſervit, & in praxin, ſi vel fallat, ne minimum infert damni.

§6. Alia ſpecies, quam tamen Celeberr. Boerhaave rariorem dicit *a)*, quoad theoriam non æquè mihi probatur. In ea omne momentum revocant ad venarum lymphaticarum polychymiam ac dilatationem. Inficias quidem non iverim, eſſe interdum, ubi hæcce vaſcula diſtenduntur; verum, an ipſa ſola tantis efferendis intumeſcentiis reſpondeant, dubito: nec capio, cur non inæqualis potius inde emergat tumorum ſuperficies? niſi quidem omnes Celluloſæ fibras fingenti fiſtuloſas *b)*, infinitum vaſculorum numerum adſtruere lubeat. Inſuper hanc theſin ad explicandas obſervationes adhibiturus, hypotheſin hypotheſi cumulare cogitur. Sed quid arbitrariis moror? ſua cuique ſtet opinio, modo nec ſit valde abſurda, nec perniciosa.

a) Prælect. T. VI. p. 84.

b) De hac hypotheſi *Bœrhaaviana* conferri meretur *Hallerus* in Element. Phyſiol. T. I. pag. 23. ſeqq.

§7. Saltem monere liceat, ſi forte admittatur Oedema tale, ſigna tamen, quibus humorem in ſuis canalibus coercitum percontari ſatagunt, lubrica admodum eſſe & incerta. Etenim minorem tumoris inertiam, qua ſinus digito impreſſus ſatis cito iterum evaneſcit, tenuiori phlegmatis conſiſtentiæ Ill. DE GORTER rectè videtur tribuere *a)*. Et quoad alterum ſignum, alternans tumoris augmentum atque decrementum non minus obtinere poterit aqua in cellulis ſtabulante. Fac enim, quod contrariæ ſententiæ Patroni de lymphaticis vaſis affirmant, actionem tubulorum adipoſæ reſorbentium alterna vice intendi atque remitti, & inconſtans tumoris volumen in aprico erit.

a) Comp. Medic. Tr. 35. §9.

§8. *Phlegma Oedematoſum* tenue, aqueum ſæpiſſime reperitur; ſeroſum, vel ſeroſo-lymphaticum vulgo adpellant, alii pituitoſum. GALENUS ſubſtantiam pituitoſam & Spiritum vaporoſum dicit *a)*. Ill. AB HALLER aquæ alcalinæ proximum reputat *b)*. Eidem ſimile videtur Gelatinæ tremulæ, in loculis membranæ adipoſæ fœtus ante adipis gleboſi tempora inveniendæ *c)*. Certè tenacitate, craſi, ſpiſſitudine variat *d)* in corporibus diverſis, varioque morbi ſtatu ac duratione, & à gelatinoſa illa indole prorſus haud raro abludit: ſive ſtagnando tandem alteretur, ſive alienatum ex ſanguine ſecedat, ſive vitiatis particulis undecunque allatis imbuatur.

a) De Arte Curat. ad *Glauc.* L. II. Cap. 3.
b) Prim. *Lin.* phyſiol. §61.
c) Elem. phyſiol. T. I. pag. 44. conf. *Bœrh.* prælect. T. III. pag. 102.
d) *de Gorter* loc. cit. Tr. 35. §2.

§9. Sunt quidem, qui in determinando Oedemate phlegmatis conſtitutionem attendunt; ita v. c. ab ipſo diſtinguendum putant tumorem Aquoſum *a)*. Verum enim vero peritiſſimorum virorum conjecturis ſæpius illudit vera mate-

riæ

riæ conſtitutio, non niſi ſenſibus experimentisque examinata adcuratè cognoſcitur. Latiori itaque vocabuli ſignificatu omnem tumorem, qui ſigna mox narranda offert, œdematoſum denominare conſultum eſt. Si quid vero in hoc illove de phlegmatis mixtura ſpecialius augurari licet, id varietatum claſſe comprehenderim, in formanda indicatione magno ſæpius cum fructu attendendarum.

a) vid. *J. J. Waldſchmidt* opera medico-practica. pag. 396.

§10. *Signa* ſcilicet *Diagnoſtica* notantur ferè ſequentia: 1. Morbus particularis eſt, ad ſatis prolixam tamen frequenter excurrit peripheriam; 2. diffuſæ & planioris faciei tumor eſt, nec præruptam exhibet eminentiam; 3. modo mollior, modo paulum renitens Iners eſt, ſeu Laxus, & impreſſionis veſtigia aliquandiu ſervat; 4. pallidi eſt Coloris, & frigidus, æſtu, rubore, dolore inflammatoriis caret, nec niſi aliquo tenſionis & ponderis gravitantis ſenſu ſtipatur.

§11. Hæc ſunt, quæ Neceſſaria dixeris ſymptomata, quæque œdematis à quocunque morbo alio differentiam conſtituunt. Præter iſta multi ægri ne minimum incommodi experiuntur; unde illud etiam ſanis contingere Fr. Hoffmannus docet a). Aegritudines ceteræ, quæ alios quandoque vexare ſolent œdematoſos, minus conſtantes obſervantur, & variant, quas itaque hoc loco ſileo.

a) Medic. ration. Syſtem. T. IV. Cap. XIV. de Hydrope §26.

§12. *Cauſam œdematis proximam* ſiſtit phlegma in membrana celluloſa, excedente copiâ ſtagnans. Diatheſin, quæ iſtam accumulationem & ſtagnationem præcedat, multi infamant ſolum impeditum lymphæ per ſuas venas refluxum. Alibi quidem ſuis cancellis illam adhuc contineri reputant §6; interdum autem facta diæreſi in Cellularia interſtitia profun-

di.



di. Vitium hoc quandoque in computum venire non negaverim: nec tamen ſemper obtinet, nec ſolum ubique ſufficit. Quando enim citatior phlegmatis congeſtio evenit, cur non potius efficitur inflammatio? Cur venarum varices, ab utero expanſo nati, non ſemper conjunctos habent pedes œdematoſos? Quî ſtupendæ amplitudinis œdemata, quæ Boerhaave recenſet *a*), tam feliciter perſanata fuêre, cum vaſorum lymphaticorum ruptiones valdè ſint pertinaces? Et quæ hujus generis opponere liceret dubia plura.

a) Prælect. T.III. p. 518.

§13. Summos in hac theſi conſentientes habeo Pathologos. Boerhaave *a*), Cauſa eſt, inquit, quando pars aquoſa ſanguinis ex rubris vaſis in panniculum adipoſum effunditur. Ab Haller *b*) eandem obeſitatis atque hydropis cauſam evincit, rubræ nimirum ſanguinis partis inopiam. De Gorter de Oedemate tractans *c*), Generatur, inquit, ut generalis hydrops ſine vaſorum ruptione. Langhans *d*) affirmat, aquam hydropicam neque per vaſa lymphatica, neque per ſeroſa ſecerni, quæ in imis pedibus nondum demonſtrata ſunt, ſed per ipſos rubris continuos canales, qui per omnem ſubcutaneam celluloſam migrant. Sed quid in Speculativis nunc verſans, Auctorum opiniones conquiro? Spectet, quæſo, quis ſanguinis, univerſalis ſecernendorum promtuarii, & ipſius gelatinæ adipoſæ mixtionem, quantitatem, motum; oſtiorum adipem adducentium & reducentium, atque fibrarum membranæ celluloſæ texturam, conformationem, cavitates, vires; humores peregrinos ſive naturales, ſive præternaturales adipem inquinantes; denique conſtitutionem partium vicinarum & conſenſualium: ſpectet horum momentorum poſſibiles modos; perſequetur certè ſeminia innumera, quibus ſingulis ſua competit, phlegma in contextu cellulari accumulandi poteſtas. Mihi delicias has theo-

theoreticas sigillatim excutere, & in consueto pathologico nitore proponere inpræsentiarum non vacat.

a) Prælect. T. VI. pag. 84.
b) — prim. lin. §170.
c) loc. cit. Tr. 35. §23.
d) Differt. de Consensu partium C. H. §5.

§14. Nec magis utilis futura est id genus disquisitio in exercenda praxi. In confessis est, eam nos stringere ingenii imbecillitatem, ut morborum individualium essentiam complete rimari, & geometrico rigore dimetiri, ne unquam polleamus. Potius in emolumentum cessura videtur doctrina pathologica ea, quæ causas Antecedentes expendit, adeoque in illa inquirit vitia, quæ prima cognoscere tenetur medicus, & adversus quæ medicamentis pugnet, necesse est, ut optato Sanationis scopo potiatur. Hæc verum therapiæ fundamentum, & agendorum declarat punctum princeps.

§15. Scilicet ignoramus causas proximas, nihilominus plures felicissime curamus morbos, medicatione quidem summe rationali. Placent hæc æquo cuique rerum arbitro, qui præcipuum universæ Medicinæ fundamentum in ipsa hominis Natura situm esse cognoverit. Hæc suis privatis a Sapientissimo Creatore instructa viribus, Oeconomiæ humanæ functiones peragit, easque ex legibus, quas in agendo sequitur, ita moderatur, ut Sanitas perduret, atque vitia partium Corporis per morbos forte effecta, iterum emendentur. Hanc ob causam officio nostro satisfecisse putamur, si quam Natura actuosa medelam molitur, attendentes, id quod ipsi impedimentum facessit, per artem infringimus, nulli dubitantes, dummodo satis vigeant vires, nec materiæ morbificæ resistentia insit insuperabilis, Coctionem Crisinque salutares, nisi ex accidenti turbentur, certo esse insecuturas. a)



a) Quæ breviſſimis propono, egregiis momentis illuſtrata evolvas apud veteres æque, Hippocratem maximè & Galenum, ac apud recentiores, inter quos exempli loco excitare licet varia ſcripta *Fr. Hoffmanni*, præſertim Diſſert. cui titulus: de Naturæ & Artis Efficacia in Medendo, van *Geuns* in Diſſert. de eo, quod Vitam conſtituit in Corpore Animali, & qui primus nominandus erat Excell. *Gaubium*, qui in Inſtitutionibus pathologiæ Medicinalis haud plebeio ſermone de Natura humana ejusque Viribus paſſim diſputat.

§16. Ipſe nunc reſpectu Hydropis & nominatim Oedematis regia iſta via incedere vires periclitabor. Vitia prodam aliquot, quæ quando morbum noſtrum legitimé debellare velimus, elaborare decet ut removeantur. Ita Oedematis *Differentias generales* ſeu *Claſſes* adſtruam, porro tamen in ſua genera, ſpecies, & varietates diſpeſcendas: partim pro variis Naturæ ſic dictis Moliminibus, partim pro phlegmatis œdematoſi indole, pro parte corporis afflicta, pro ægri conſtitutione privata, aliisque conditionibus ſingularibus. Pariter medicamenta Diſcutientia alia atque alia indicari in ſingulis diviſionibus, nec tironi medico obſcurum fore cenſeo.

§17. Per obſervata practica, quæ unice nunc conſulenda ſunt, meditationem circumducens, invenio ſequentia vitia, ſollicite disjungenda. 1. Obſtaculum gravius, venis ſanguiferis majoribus adplicatum; 2. Imbecillitatem Naturæ; 3. Evolutum, nimiumque in corpore abundans ſerum Excrementitium; 4. varios veri nominis Morbos Primarios; 5. denique plures diverſi generis cauſas unitas. Arcti diſſertatiunculæ limites materiæ pro dignitate explanandæ ſpatium denegant. Ne tamen aſſeruiſſe videar, quæ probare non poſſim, per ſingulas claſſes exempla quædam memoraſſe intereſt.

§18. Ut ratio *Obſtaculi*, reditum ſucci venoſi retardantis pateſcat, Clariſſ. SCHELHAMMERUS *a)* venam quandam

ex

ex majoribus ligare, pauloque poſt partem, ex qua illa reducit ſanguinem, incidere præcipit, quo facto non ſanguinem, ſed aquam promanare affirmat. Veritatem aſſerti confirmat Canis hydropicus LOWERI *b)*. Scilicet retardatur hac ratione non ſolum refluxus ſanguinis rubri, ſed quoque humorum ipſi refundendorum; ita gelatina adipoſa usque in loculos celluloſos deponitur; quin copioſior ſecernitur, ſi ſyſtematis arterioſi motus ſimul ſit languidior, nec proportionata ejusdem ſuccedit reſorptio. Inde non poteſt non in membrana celluloſa fieri congeſtio, partes contegentes expanſura. Heic quoque eſt, ubi ſymbolam ſuam conferunt turgentes venæ lymphaticæ §6.

a) loc. cit. pag. 63.

b) Vid. *Bœrh.* Prælect. T. I. pag. 58.

§19. Obſtaculum tale infert compreſſio venarum in equitatione, per vincturas arctius adplicatas, per uterum femineum fœtu, hydrope, mola expanſum *a)*, funiculum umbilicalem collo fœtus circumpoſitum *b)*, ſcirrhoſos aliosque partium tumores *c)*, quin ſolius adipis inſignius augmentum *d)*, & quæ ſunt hujus generis plura.

a) vid. *Platneri* Inſtitut. Chirurg. ed. germ. §735.

b) ibid. §756.

c) *de Gorter* Comp. Medic. Tr. 35. §5 & 6. Interfui ego ſectioni mulierculæ, quæ cum primo pedes œdematoſos geſtaret, tandem hydrope Aſcite defuncta fuit: huic glandula, Pancreas dicta, in inſignis voluminis ſcirrhum indurata, & ſitu alienato corporibus vertebrarum dorſi adhærens à dextro truncum venæ Cavæ deprimebat.

d) *ab Haller* prim. lin. §25.

§20. In Curatione dicto obſtaculo obviam ire oportet; & quæ illud removent, diſcutientem ſimul ſæpiſſimè præſtant opem. Licet enim tumorem noſtrum directè non aggrediantur, impugnant tamen impedimentum, naturæ oppoſitum; quo ſublato hæc absque ulteriori medicaminum auxilio medica-



dicationi perficiendæ par redditur. Uti v. c. quotidiè videre eſt in gravidis, quæ partu excluſo intra paucos plerumque dies à pedum tumore liberantur.

§21. In ſecunda claſſe *Naturæ a) Imbecillitas*, aliis Debilitas vocata, ponit defectum virium humanarum, eum quidem, ex quo functiones humanæ nec vigore, nec conſtantia plenæ Sanitati congruis, perpetrantur; neque tamen tantæ efficiuntur ægritudines, ut veros inter morbos collocent vitium *b)*. De Origine hydropis ex imbecillitate, commentatur Illuſtr. VAN SWIETEN *c)*, quod orificia venoſa humores imbibant proportionaliter ad circulationis vires, & quod in ſummis languoribus diutius videatur perſiſtere vis evacuans arteriæ, quam vis reſorbens venæ; hinc in omni corporis diatheſi, in qua vitalis vigor imminuitur, aquoſa incipiant accumulari. Et Ill. AB HALLER *d)* declarat, in languido corpore non adipem deponi in cellulas, ſed gelatinam quandam; quæ ſummo pathologo BOERHAAVIO *e)* primum hydropis ſignum videtur.

a) Controverſias circa *Naturæ* conceptum agitatas, meas jam non facio. Ipſe hoc vocabulo complector cauſas viresque functionum humanarum. vid. *van Geuns* diſſert. cit. §3.
b) Conf. *Gaubius* Inſtit. pathol. §38 & 40
c) Comment. in aphoriſm. *Bœrh.* T. I. ad §44.
d) prim. lin. phyſiol. §25.
e) Prælect. T. III. pag. 102.

§22. Duplex eſt *Imbecillitatis genus*: alterum cum partium firmarum textura p. n. debili, cum rigida alterum nectitur *a)*. Utrumque propitium eſt ingenerando œdemati. Ita de priori genere loquuntur, qui procatarcticis œdematis cauſis annumerant temperiem phlegmaticam, vivendi genus lautum & otioſum, abuſum potus aquoſi, inprimis calidi, ve-

næ

næ ſectiones nimias, cet. Poſterius contra ante oculos habent, qui ſenii, liberalioris ſpirituoſorum, acidorum ingurgitationis, anxiarum mentis cogitationum, multorum dudum affligentium morborum, cet. mentionem faciunt *b)*. Interdum particularis quoque incuſanda venit imbecillitas, oriunda v. c. ex læſione parti ſingulari adplicata; ita à ſubluxatione malleolorum tumet pes inferus *c)*.

a) Diſtinctio hæc notioni §o præcedenti not. a. exhibitæ accommodatur, & comprobatur experientiâ, qua tam in laxo, obeſo helluonis, quam in rigido decrepiti ſenis corpore functiones torpeſcere novimus, & ab effectu æſtimamus cauſas, vires innuo languentes. Ceterum utrum vires partibus firmis eſſentialiter competant, & modi ſui rationem ſufficientem habeant in modo texturæ, ſub litem adhuc revocatur? Equidem nexum intercedere eſſentiæ inter modum atque virium, inde colligo, quoniam mutato priori ſemper & uniformiter mutatur quoque poſterior; unam tamen eandemque rem Eſſentiam, quam dicunt, partium corporis, atque Vires vix exiſtimarim; hæ additæ tantum ac harmonicæ mihi videntur. Amplas hujus theſeos demonſtrationes exſtruere, inſtituti ratio non eſt, unicum tamen illuſtrationi ſerviat exemplum. Quippe Debilitatis, ſive cohæſionis partium componentium imminutæ, ſpecies diverſæ ſtatui vis vitalis nectuntur planè oppoſito v. c. Laxitas Torpori, & Gracilitas Vividitati, ſ. irritabilitati; vid. *Gaub.* loc. cit. §194 & 198.

b) vid. *Platner* l. c. §737. *Heiſteri* Inſtit. Chirurg. T. I. pag. 348.

c) Hunc caſum recenſet Beatus Al. *Camerer* in Diſſert. quæ inſcribitur: Hiſtoria pedis Tumidi. pag. 10.

§23. Circa therapiam hujus œdematis verſantur inſtitutiones practicorum tantum non omnes; quin plures de ſolo hoc hydropis genere tractant. Hic enim accommoda ſunt, quæ commendant, pharmaca ſtimulantia, roborantia, calefacientia, & ſic dicta Hydragoga ſpecifica.

§24. Quoad tertiam claſſem, num *ſeroſus latex* peculiari via ex ſuis ductibus in celluloſæ cavernulas transmigret,

 non



non diſceptabo. Ratio naſcendi œdematis nec iis difficilis adparebit, qui præter ſecretionis ambages aditum dari pernegant. Huc ſpectant verba immortalis BOERHAAVII *a)*: Quando vis vitæ debilitata vix liquores promovet, & ſanguis aqua potius quam oleo abundat, tum vero in exhauſtas macilenti corporis cellulas deponitur aquoſus latex, diſtendit folliculos, qui muſculis incumbunt, & naſcitur levcophlegmatia. Hic obtinet diatheſis illa hydropica, quam §13 ex HALLERO dixi, ratio nimirum ſeri ad rubras ſanguinis particulas aucta.

a) Prælect. T. III. pag. 516.

§25. Plura certè apud practicos proſtant exempla eorum, qui & poſt ſuppreſſam excretionem cutaneam, & poſt retentionem Urinæ violentam hydropem reportarunt, quam ut de ſeminio iſto efficaciori ambigere quis poſſit. Hanc ob cauſam judicat BOERHAAVIUS *a)*, quod ſicciſſima in diæta corpus fieri poſſit hydropicum, tum, quando arteriæ non tantum perſpirant, quantum venæ ex aëre reſorbent. Et de urina retenta Excell. Beatus D. D. MOEGLING hoc inſtituit præſagium *b)*: Alias urinæ ſuppreſſio brevi tempore vel mortem, vel hydropem producit.

a) Prælect. T. III. pag. 503.

b) Tentam. ſemiot. P. I. pag. 19. In noſocomio Argentinenſi vidi feminam hydropicam, quæ cauſam morbi antecedentem ne ullam noverat, niſi quod lotium ſumme urgens reddere pro vitæ conditionibus iterata vice non licuerit.

§26. Medicamenta, quæ huic œdematum generi conveniunt, ſunt diuretica, diaphoretica, ac ſudorifera, paſſim à practicis laudata.

§27. Oedemata quarto loco numerata, quæ alii cuidam *Morbo primario* natales debent, primo ſtatim intuitu ab invicem diſcrepant; ſive pluribus claſſibus diſtinguere, ſive in ordines claſſem ſubdividere libuerit. Succreſcunt quippe alia per conſenſum, & merè ſymptomatica ſunt; alia contra ſunt metaſtatica. Quæ utrinque tam de ſymptomatica quam metaſtatica indole participant, in quintam diviſionem differo.

§28. *Symptomaticum œdema* ſola vi morbi producitur. Triplex hujus pro triplici geneſeos ratione, conſtituitur genus. Primum mediante interſtitiorum contextus celluloſi conſociatione *a)* per communicationem mali ſupervenit in aliis hydropis ſpeciebus. Nemini hoc intellectu difficile erit, qui apertum iter, quo phlegma ex parte corporis in aliam pergit, intuetur *b)*. Alterum genus ex ſanguine corrupto, adipem adeò largiente vitiatum, per oſcula reducentia ægrius, & minori, quam par eſt, in copia reſorbendum derivatur. Familiare hoc eſt morbis chronicis cachecticis *c)*. Genus tertium comitatur morbos, qui partium firmarum tonum dejiciunt, & univerſalem inferunt imbecillitatem; cujus cenſus ſunt hæmorrhagiæ, diarrhœæ, phthiſis, cet. *d)*. Ratio, qua iſthoc generatur, dicta fuit §21.

a) De communicatione telæ celluloſæ evolvi merentnr *ab Haller* Elementa phyſiol. T. I. pag. 14. ſeqq.

b) Luculentam explicationem, exemplis ſimul corroboratam, dedit *Langhans* in citata Diſſertatione de Conſenſu partium C. H. Sect. I. de conſenſu Tunicæ Celluloſæ.

c) Huc faciunt verba M. A. *Severini*, qui L. 11. Cap. 5. de Recondita Abſceſſuum Natura, Una eſt, inquit, Cachexia, quæ veluti fons uber ſolet plerumque materiam ſubminiſtrare crebrorum abſceſſuum.

d) *Platner* l. c. §737. & *Heiſter* l. c. pag. 348.

§29. Infauſtum ancipitis ægrorum ſtatus ſignum ut plurimum exhibet hoc ſymptoma. Et ad morbum primarium me-



medelam convertendam esse omnem, sponte patet: sic enim confidimus, symptoma ultra suum morbum non esse duraturum.

§30. *Oedemata Metastatica* nascuntur post Crisin *a)* morbi imperfectam. Excitantur adeoque à Naturæ viribus, materiam morbificam, quæ plenè exturbari nequit, in telas cellulosas deponentibus *b)*. Huc quadrat dictum divi Hippocratis *c)*: Si eorum, quæ excernuntur, supersit pars aliqua, tum in morbo abscessus est facilis. In genere quidem affirmare licet, depositiones ejusmodi criticas beneficio consensus vasorum contingere *d)*: in systemate enim sanguifero perficitur Coctio *e)*. Utrum autem ratiocinii quid tribuendum sit Naturæ, quæ pro arbitrio, modo materialem, modo nervosam procuret metastasin, miasma peccans nunc in hanc, nunc in illam congerat corporis partem: an quod majori veri specie contenditur, metastaseon varietas ex physicis causis sit determinanda, & explicanda secundum peculiares leges, non quidem simpliciter mechanicas, sed medicas, œconomiæ animali privatas, fusè perquirendi spatium non suppetit *f)*.

a) Vaga apud Pathologos est termini *Criseos* significatio. Conf. *van Swieten* Comment. T. II. ad §587. Mihi jam denotat solutionem morbi quamcunque per vires Naturæ. Hunc conceptum, ceu pluribus adoptatum stabilivit Cl. *Conrad* in dissert. de Depositionibus Criticis §1. Ex eodem non amplius absona videbitur thesis, quod etiam in Chronicis morbis locum inveniant Crises. Vid. laudati *Conrad* diss. cit. §1. not. a. & *Wegelin* dissert. de Metastasi. pag. 4.

b) *Conrad* l. c. §16. pag. 26.

c) Epidem. VI.

d) De hoc consensu vid. *Langhans* diss. cit. Sect. II.

e) *Wegelin* loc. cit. pag. 3.

f) Multa eruditione doctrinam hanc pertractavit *Conrad.* l. c. §16. sqq.

§31.

§31. Utut incompletam originis horum œdematum theoriam exhibuisse videri possem; ipsa tamen ex observationibus satis superque declarantur. Plurima, eaque varii generis offeruntur practicis. De febribus intermittentibus postea ex professo dispiciam. Acutas febres œdemate terminari ex curatione suspecta, abusu in specie volatilium, Celeberr. STAHL observavit *a)*. Nec disparem conjecturo rationem tumorum, qui abscessus, empyemata, scabiem retropulsam cet. *b)* excipiunt. Licet enim his in casibus perturbationes criticæ attentionem Medici sæpius subterfugiant: non tamen nisi vis vitæ moleculas morbosas intra vasa systematis circulatorii revocat, ibidem præparat, & ita morbum priorem quidem solvit, sed facta abscessione novum morbum procreat.

a) In Differt. de Raris Morbis. Al. *Camerer* in differt. quam inscripsit: Historia Pedis Tumidi, in qua tumorem ex Erysipelate & Febre Petechiali ortum examinavit, pag. 10, ubi dictam *Stahlii* dissertationem allegat, asserit, nota ipsi esse exempla, id ipsum in gradu non levi perpessorum, qui morbum tantum non in solidum naturæ commiserant & superaverant.

b) *Platner* loc. cit. §737.

§32. Quoad praxin, morbum primigenium sedulò respicere, & inde signum non tantum status ægri anamnesticum colligere, sed etiam materiæ metastaticæ indolem, quantum licet, augurari è re est. His enim usi indicantibus, congrua seligere possumus medicamina discutientia.

§33. Maximus denique Oedematum numerus continetur *Classe quinta.* Jam recensitas causas antecedentes plures, vel pauciores multis invicem concurrere posse modis facile intelligitur; sua singulæ agunt ratione, suoque in singulis ægris gradu, in eundem tamen, colluvie phlegmatica adiposam

 inun-



inundandi effectum conſpirant omnes. Pariter in ſuſcipienda legitima cura ſingulæ indicantium jure attentionem expoſcunt, ſuumque majus minus habent momentum in formanda indicatione. Lubens autem faſtigium heic impono præceptis generalibus, præſertim cum luculentum robur huic claſſi acceſſurum ſit ex infra dicendis. Limites enim longius excedere deberem, ſi per innumera exempla ire propoſitum foret.

§34. Potius his prælibatis pedem promoveo ad thema curatius tractandum, ea examinaturus *Oedemata, quæ ex febre Intermittente laborantibus accidunt.* Adhuc miror inſignem horum numerum, quæ Argentorati nuper obſervavi, cum, quod grato animo publice teſtor, informante Clariſſimo atque Experientiſſimo D. D. BOEHMIO, Xenodochii civici Argentinenſis Medico Primario in Clinicis proficere mihi contigit. Ipſa eorum frequentia rationem ſubminiſtrat, unde intelligo, cur plerique inter cauſas prædiſponentes recitent iſtam Intermittentem.

§35. Plurimos tumores notavi Pedum, nec infrequentes Faciei, vix unum alterumve Brachii; ſæpe illi pedum atque faciei una infeſtabant. Ratio, cur hæc illave corporis pars potius occupetur, non ubique in propatulo eſt: interdum tamen privata alicujus partis diſpoſitio, quam v. c. ex læſione, aliave ex cauſa accepit, conjecturæ locum dabit *a)*.

a) Ita peculiare feminium naturale quærunt in Pedibus, quia ſanguinis motus ibidem ſit valde imminutus. Vid. *Langhans* diſſ. cit. §5.

§36. Ut diſtincte doceam, tramite, quo cœpi, pergere, diſcrepantia œdemata diſtinguere, & ſeorſim contemplari operæ pretium judico. Nimirum obvia illa ſunt ex claſſi-

bus,

bus, quas antea diſpoſui: *Simplicia* ex claſſe quarta, ejusque ordine utroque; & alia, quæ *Compoſita* dixeris, vel *Complicata* ex claſſe quinta.

§37. Primum itaque locum occupat *Oedema Symptomaticum*. Præ ceteris hoc obſervatur frequentiſſimum. Accedit intermittentibus per longius jam tempus protractis, autumnalibus præſertim quartanis *a)*. Ceterum febrilis morbus permanet. Ipſe tumor increſcit gradu lento, principium nanciſcitur in pedum malleolis, & inconſtans eſſe ſolet, augetur, iterumque decreſcit per noctem inprimis & ſervato regimine commodo. Hæc incunabula plerumque ſunt hydropis, quo ſubinde terminantur febres diuturnæ *b)*.

a) Vid. *Sydenham* Opera medica. Tom. I. pag. 58. Fr. *Hoffmann* Medic. rat. ſyſtemat. T. IV. Sect. I. Cap. II. de Febre Quartana §20.

b) Vid. *Bœrhaave* Aphoriſmi de Cognoſcendis & Curandis Morbis §753. & van *Swieten* Comment. T. II. ad hunc §um.

§38. Prædiſponens, quam dicunt, cauſa latet in debilitate, conjunctaque imbecillitate, partibus firmis per febrim inducta §28. Sub hac quippe diatheſi humores vitiati ex ſanguinea maſſa abundantius tranſeunt in loculos adipoſæ, ibidemque ſenſim cumulantur. Recitatu hic dignum eſt judicium, quod de hydrope febres diuturnas ſequuto fert Illuſtr. van SWIETEN *a)*: Febris, inquit, de corpore expulit liquida, ſed cocta; potu vero copioſo, ob ſitim plerumque comitem, cruda ingeruntur, quæ ob debilitatum per febres longas corporis robur, nec moveri poſſunt, nec expelli de corpore, ſed in cavis majoribus & minoribus colliguntur.

a) Comment. T. II. ad §587.



§39. Causas occasionales omnes recensere longum foret: in aprico est, omnes illas potentias hoc titulo concludi, quæ febrim diuturniorem & contumaciorem reddunt, sive ad regimen ægroti, sive ad medendi methodum referantur. Tres tamen memorasse præ ceteris juvat. Scilicet & Venæ sectionem & Catharsin multam hoc nomine infamat Ill. SYDENHAM *a)*, quod in quartana autumnali non absque morbi prolongatione adhibeantur, & symptoma nostrum maturius prolectent. Hisce addo copiosum medicaminum Attenuantium Salinorum usum, a quo abstinere in quartana prudenter præcipit Excell. LUDWIG *b)*, quod licet sanguinem viscidum resolvant, debilitatem tamen solidorum simul inducant. Suffragatur etiam Ill. van SWIETEN *c)*, qui nocitura putat attenuantia & diluentia in debilis temperiei hominibus, & qui profusis sudoribus diffluunt, dum nimia dissolutio humorum, & solidarum partium debilitas jam adsint.

a) l. c. T. I. pag. 54. conf. van *Swieten* Comment. T. II. ad §762.
b) Instit. Medic. clinicæ §91.
c) l. c. ad §758.

§40. Fatale plerumque prognosticon præbet hoc symptoma. Summe refractaria tum temporis esse consuevit Febris, & tumor particularis creberrime in universalem grandescit. Celeberr. LOMMIUS prænunciat *a)*, quod quando quartana inveterascit, corpus hydropi exponatur, fereque æger oppressus pereat. Certe vix unquam evadunt ætate grandiores; interdum salutem attulit juvenibus medicatio statim præcipienda.

a) Observ. medicin. pag. 19.

§41. Hæc quippe, uti §29 traditum fuit, primario prospicit febri. Observavi, inquit Celeberr. SYDENHAM *a)*, frustra

frustra esse, si quis hydropem ex febre intermittenti natum, medicamentis purgantibus tollere conetur, febre illa adhuc durante: febris enim hoc pacto radices profundius agere deprehendetur, non autem amovebitur hydrops. Indicantur vero medicamenta Roborantia. VAN SWIETEN *b*) commendat Cort. Tamarisci, Capparidis, Peruvianum, una cum aromatibus vino austero rubro infusa. Similem virtutem Confortantem, minorem quidem adstrictivam, sed eminentiorem stimulantem exserunt Infusiones Rad. Raphan. rustic. Summit. Absinth. Centaur. min. Baccar. Juniperi, Ciner. Genistæ, quibus symptoma nostrum tum aggredi præcipit modo laudatus SYDENHAM *c*), quando curatio ejus eo usque non videatur differenda, donec febris recessus catharticorum usum permittat. Nec inferiora his sunt Martialia, morbi genio, & ægri conditionibus accommodata: medente Exp. D. BOEHMIO Argentoratensi, admodum contumaces febres debellatas vidi per Tartarum chalybeatum moderatis salis ammoniaci & nitri dosibus mixtum.

a) loc. cit. pag. 59.
b) loc. cit. ad §758.
c) loco prius citato.

§42. Hac medicatione, præsertim, ubi diæta accommoda jungitur, Natura vires sensim recuperat, unaque cum febre sæpe sæpius etiam fugat malum symptomaticum. Ita testatur Ill. de GORTER *a*), quod febre suo antidoto bene extincta, sine ullo alio auxilio omnem aquam sua sponte brevi tempore per urinæ vias evacuatam fuisse sæpe viderit. Interdum tamen diutius restitat œdema, & sopita febre morbum secundarium sistit. Tum medicamentis naturam juvare consultum est.

a) l. c. Tr. 35. §11.

§43. Alibi quidem ſufficiunt, quæ viſcera primæ culinæ debilitata roborant, iisque torpentibus priſtinum vigorem reddunt. Nutrimentum ibidem legitime elaboratum univerſæ œconomiæ velificatur, ut functionibus naturalis modus redeat. Hunc in finem modo nominatus de GORTER *a*) medicamenta adſtringentia, calida, ſtomachica, & antiſcorbutica extollit, quibus roboratum corpus aquam ſponte expellat. Huc quoque pertinere videntur, quæ Celeberr. HEISTERUS de Harriſio refert *b*), quod non ſemel per Crocum martis aperitivum, corticemque peruvianum peſſimas iſtiusmodi pedum noxas feliciter ſuſtulerit. Exulent autem omnino medicamenta purgantia; hiſce quieſcentem febrim reſuſcitatam fuiſſe plus una vice obſervavi. Proinde ait de GORTER *c*): Hujusmodi hydrops a purgantibus intenditur, illaque febrim recidivare faciunt.

a) loc. cit.
b) l. c. pag. 351. præſertim de ſpecifico Cort. peruviani medicamento evolvi in hoc paſſu merentur Ill. *Werlhof* Obſervationes de Febribus præcipue Intermittentibus pag. 58 ſqq.
c) loco antea citato.

§44. Quandoque præterea curandum eſt, ut tubulorum adipoſæ reducentium actio in parte affecta intendatur, quo certior atque citatior contingat diſcuſſio. Faciunt huc Moventia, externe applicanda. Primum locum ſibi vendicant Frictiones, ope panni calidi ita inſtituendæ, ut pedes cum rubore calefiant, qui dein faſciis idoneis muniantur *a*). Deinde haud contemnendæ utilitatis ſunt fomentationes, balnea, epithemata ſicca cet. roborantia, quæ & ſtimulantem & modeſte adſtringentem virtutem ſimul poſſident, varia a variis Autoribus commendata *b*).

a) *Heiſter* l. c. pag. 350.
b) *Heiſter* ibid. & *Platner* l. c. §751, & *Schelhammer* l. c. pag. 66.

§45.

§45. Huic œdemati ſymptomatico ſubjungendum eſſet aliud, cui ſymptomatis nomen æquali imponitur jure. Tale aliquando intermittentem epidemice graſſatam comitatum eſſe, ſtatim in principio febris apparuiſſe, cumque ipſa iterum evanuiſſe, per certam relationem novi; ut ita *Conſtitutioni Epidemicæ* deberi videatur. Verum obſervationibus, quæ theoriæ exſtruendæ ſufficiant, deſtitutus illud præterire malo, quam doctrinæ hypotheticæ atque commentis erraticis indulgere.

§46. Alterum, quod ſimplex vocavi, *Oedema Metaſtaticum* eſt. Inſequitur hoc intermittentes ſæpius autumnales, interdum vernales, durationis terminum ſolennem nondum transgreſſas *a*). Ab ipſo morbus primarius ſolvitur, ad minimum conſpicua ratione mutatur. Æger ceterum corpore ſatis robuſto vigenteque pollet.

a) De hoc Termino evolvi poteſt *Conrad.* diſſert. de Depoſitionibus Criticis §9. not. u.

§47. Hujus acceſſum prænunciare ſolent præter communia criſeos imperfectæ ſigna, non ubique tamen medico animadverſa, etiam dolor aliquis partis inflandæ tenſivus, & quandoque titillationis ac pruritus ſenſus. Ipſe natus tumor frequenter eſt conſtans.

§48. De Cauſa Metaſtatica nemo dubitabit æquus rerum arbiter. Si vel enim anguſtiore notione, quam quæ §30. not. a. exhibita fuit, Criſin non ſtatuamus, niſi quando ſubitanea & cum magnis turbis conjuncta morbi fit ſolutio *a*); non poſſum tamen, quin intermittentem collocem inter morbos criticè ſolvendos. Declarare liceat theſin ex mente Acutiſſimi SYDENHAM. Docet ipſe *b*) quod materia febrilis naturam exagitet quodammodo atque laceſſat, quæ excitet in

cor-



corpore rigorem atque horrorem, averſationis ſuæ teſtem & indicem, unde primum paroxyſmi febrilis tempus, Exhorreſcentiæ dictum, emergit: quod poſtea hoc pacto irritata natura Ebullitionis tempore, quo facilius hunc hoſtem à ſuis cervicibus depellat, fermentationem aggrediatur, cujus beneficio disjunctæ peccantis materiæ partes, quæ ſanguini æquabiliter admixtæ fuerant, quodammodo aggregentur, atque adeò leviori opera ſubigantur, ut ad deſpumationem opportunæ evadant: quod denique tertio ſuccedente tempore ſymptomata omnia primo leviora fiant, atque tandem planè evaneſcant; Deſpumationis autem nomine nihil aliud vult ſignificatum, quam materiæ febrilis jam ſubactæ & quaſi devictæ expulſionem, ſeu ſeparationem. Hac theoria nixus Celeberr. Autor Continuarum atque Intermittentium febrium diſcrimen in eo maximè verſari concludit *c*), quod continuæ conceptam ſemel efferveſcentiam συνεχως unoque tenore perficiant, intermittentes autem partitis vicibus ac diverſis temporibus eadem defungantur. Et alibi de morbis acutis agens ait *d*): Quamvis ſi minus adcuratè, haud tamen minus verè loquamur, iſti etiam morbi pro Acutis ſint habendi, qui licet reſpectu paroxyſmorum, ſi omnes ſimul ſumantur, tardius moveant, reſpectu tamen paroxyſmi cujuslibet particularis, citò atque etiam criticè ad finem perveniant; quales ſunt febres Intermittentes omnes. Sic quoque van SWIETEN *e*), Et merito, inquit, tunc criſis vocatur, cum nova ſymptomata oriuntur, & morbus tollitur, vel minuitur, dum vel integrè, vel pro parte excernitur morbi materia.

a) Hanc notionem ex *Galeno* probat van *Swieten* Comment. T. II. ad §587.
b) Opera omnia T. I. pag. 46.
c) ibid. pag. 52.
d) ibid. pag. 20.
e) l. c. ad §587.

§49. Hiſce præmiſſis in apricum poſita eſſe videtur poſſibilitas Metaſtaſeos ex febre intermittente *a*). Nec dubium relinquitur, hanc ipſam eſſe œdematis noſtri indolem, ſi inſignem, quam febris patitur mutationem §46 juſtis rationum momentis expendimus. Quapropter Ill. van Swieten *b*), cum ex Sydenhamo didicit, febrim fugam meditari iisdem gradibus, quibus hoc ſymptoma ſupervenit, infert: non videri talem crurum tumorem à mera laxitate fieri, verum aliquid materiæ morboſæ verſus has partes deponi.

a) Conf. *Wegelin* Diſſert. de Metaſtaſi pag. 2.
b) l. c. ad §753.

§50. *Metaſtaſis* alibi eſt *Completa*, ut febre omnino ſoluta omnem mali molem in ſe jam recipiat œdema; alibi contra eſt *Incompleta*, ut una cum œdemate aliæ reſtitent ægritudines; nimirum febris modo in aliam tranſit ſpeciem, v. c. tertiana in quotidianam, vel ſi mavis, in tertianam duplicem, nec non in quartanam; modo Lentæ ſpeciem induit; modo circuituum ordinem ſervat, mutatis tantum paroxysmorum duratione & vehementia, & quæ dantur metamorphoſes plures. Ratio non difficulter intelligitur: in completa metaſtaſi univerſa materia morbifica, in incompleta autem ſolummodo pars ejusdem in textum adipoſum congeſta videtur, & morbi conjuncti ſtatus a relicta parte derivatur. Perinde, uti quilibet intermittentium paroxyſmus ſolvitur parte materiæ febrilis per criſin expulſa, reliquiæ autem, ſive per univerſum corpus in ſyſtemate circulatorio, ſive in ſingulari viſcere hæreant, novos usque ſuſcitant paroxyſmos, & morbus vere demum ſolvitur criſi totali, ex pluribus partitis conſtante. Forſitan metaſtaſis completa criſin particularem ultimam, & reliquas antecedentes illa incompleta excipit?

§51. Non enim definito, eodemque in omnibus ægris tempore evenit noſtra metaſtaſis. Primi æque ac inſequen-

tium

 

tium paroxyſmorum criſis imperfecta ipſi generandæ par eſt. Id per experientiam ſatis comprobatum etiam ſana dictitat ratio. Sed properandum eſt, & ad cauſas Occaſionales dictas pergendum.

§52. Magnum harum eſſe numerum lubenter fateor; certe innumeras memorare liceret potentias, quibus ſua coctionem criſinque legitimam pervertendi competit virtus. Paucas ſub examen vocabo, quas optima magiſtra experientia reſpectu œdematum qua tales demonſtravit: Venæſectiones puta, Purgationes, medicamenta Refrigerantia tempore paroxyſmi præſertim propinata, & ſuppreſſum Sudorem criticum. Harum contemplationem non parum lucis affundere arbitror hypotheſi, qua §30 aſſerui, quod criſin imperfectam non quæcunque indiſcriminatim ſequatur metaſtaſis, per Naturæ voluntatem delecta. In ſingulis enim aliquid diſpoſitionis hydropicæ rimari licet.

§53. Venæſectionum vel abundantius, vel incongruo conſilio inſtitutarum, ſupra §39, ubi de œdemate ſymptomatico agebam, mentio facta eſt. Nec tamen, quod multi ſibi perſuadent, hoc ſolo nomine nocent; favere easdem quandoque metaſtaſi, certum ſcio. Idem innuere videtur obſervatio nunquam ſatis celebrandi SYDENHAM *a*), quod venæſectio ſymptomata illa (quæ inter etiam hydrops) maturius accerſiverit, quæ febres autumnales intermittentes in ſtatu declinationis vel comitantur, vel *à tergo ſequuntur.* Rationem explicat Celeberr. LUDWIG *b*); Vires, inquiens, ad materiam morbi mutandam neceſſarias infringit. Hydropis vero ſeminium attrahunt ejusmodi venæſectiones, quia ſanguinis circulationem languidiorem reddunt, uti §21 demonſtratum fuit.

a) loc. cit. pag. 54.
b) loc. cit. §82.

§54.

§54. Circa Venæsectiones in intermittentibus administrandas celebriores Practici inter se diffident. Sunt, qui encomiis summis illas extollunt, & sexcenta feliciter curatorum exempla in theseos propugnationem narrare norunt. Alii contra eas per se semper noxias, & casu solum prodesse evincunt, nec suis, quibus nitantur, destituti rationibus. Pace Summorum Virorum quid ipse sentiam, dicere liceat. Scilicet indicari interdum venæsectionem, eamque non tantum mala, quæ à nimia sanguinis copia & rarefactione metuuntur, præcavere, sed ad ipsam febris curam prodesse judico. Quî enim sanguinis superpondio vires canalium superante, bona continget coctio? quî absque hac sanabitur febris? Nec terret objectio, quod per ipsos paroxysmos febriles decrementum patiatur sanguinis massa. Primo enim non semper sufficiens videtur hoc decrementum *a*); deinde non impune isthoc expectabis, quando plethora & orgasmus sanguinis statim in principio febris plagam facit periculosam, haud raro immedicabilem *b*). Veruntamen non ita frequenti casu occurrere phœnomena, quæ venæsectionis subsidio coërcenda sunt, non dissimulabo.

a) Memorabile hujus rei exemplum notavi in nosocomio argentinensi. Aegra quædam ultra quatuor jam menses Quartana detinebatur; cum præter alia plethoræ signa de atroci capitis dolore conquereretur, Exp. D. *Bœhm* venam ipsi secare jussit, tam optato cum successu, ut unicum postea pharmacum ex salinis & martialibus compositum, eam integritati redderet.

b) Talis est observatio, quam *Werlhof.* loc. cit. pag. 74. not. e. ex *Ballonio* notat, quod Vir nobilis tertiana laborans, ob neglectam sanguinis detractionem obierit; cum quarto paroxysmo, ruptis veluti venis, & facto impetu quodam in partibus internis, magna foras excretio sanguinis sit insecuta.

§55. Quod ad Purgationes in intermittentibus attinet, itidem in diversum tendunt Auctores. De usu abusuque purgantium differens egregie placet Ill. WERLHOF. *a*). Certe non per contumeliam peritissimus Autor purgationem ineptam, medicastris consuetam in febribus, cachexiæ & hydropis



matrem nominat *b*). Ab eadem ſæpius œdema ſymptomaticum §39. Interdum cum motus febriles ſopiri, vel ſaltem miteſcere vident, ſcopo ſuo ſe potiri, vana confidentia ducuntur iſti medicaſtri. Sed taceo plurimas inde naſcentes metaſtaſes; de tumoribus tantum œdematoſis moneo, quod contingant frequentius. Hujusmodi evacuationes tum quidem concitatæ, quando materia peccans per has excretionis vias eliminari nequit, naturæ molimina omnino fruſtrantur, criſinque efficiunt imperfectam. Proinde paroxyſmi ſequentes ſudore non, uti fas eſt, ſatis largo terminari obſervamus. Privata quoque hac methodo generatur diatheſis hydropica, de qua docet Ill. de GORTER *c*), quod nimia evacuatione æquilibrium inter ſolida & fluida tollatur, boni humores colliqueſcant, ſolida laxentur, vis vitalis langueat, & tenues aut viſcidi humores in laxatis & inertibus vaſculis & cellulis colligantur.

a) loc. cit. pag. 24.
b) ibid. pag. 57.
c) loc. cit. Tr. 35. §13.

§56. Medicamina Refrigerantia memorans, fidem habeo relationi Amici fide digni. Narrabat hic ægrum à quartana liberatum, ſed hydrope poſtea defunctum, qui tempore Ebullitionis febrilis, æſtu ſitique vehementi diſcruciatus, aliquot cochlearia potionis alicujus ſic dictæ Temperantis ingurgitaverat. Theoria neutiquam adverſatur. Etenim dicta medicamina tum minuunt calorem, quando compeſcunt motum *a*), adeoque alterant motus illos, qui ad coctionem perfectam neceſſario requiruntur, unde etiam criſis imperfecta, quam preſſo pede ſequitur metaſtaſis.

a) de *Gorter* loc. cit. Tr. 87. §3.

§57. Oedemata, quæ poſt Sudationem paroxyſmos ordinario finientem, cohibitam, adeoque miaſma peccans non univerſum excernentem ſuboriuntur, forte quis in generum compoſitorum numero ponat. Quanta enim ſit vis ſeri excre-

crementitii intra corpus retenti ſupra §24 expoſitum fuit. Si tamen medendi ratio ſpectatur, œdemata hæc nihil plane differunt à ceteris metaſtaticis ſimplicibus: & pro hac cauſa ſudorem ſuppreſſum occaſionem tantum vocare malui, quam generum multitudinem præter neceſſitatem exaggerare.

§58. In Prognoſi formanda metaſtaſis hæc præ multis alias contingentibus benignior habetur, utpote partem corporis petens minus nobilem, & à vitæ penetralibus remotam. Interdum ſponte ſua evaneſcit tumor; ſed caveant poſtea ægri ab omni diætæ errore; poſt talem enim, quin ad variantem cœli tempeſtatem conſopitum malum aliqualem ſui memoriam revocare amat. Quando completa exiſtit metaſtaſis, vix metuendum eſt, ne ex uſu medicaminum utut validiorum revertatur febris. Proinde nunquam moleſtum fuit SYDENHAMO, quoties hunc morbum natum audiit atque intellexit, & de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concepit *a*). Alibi, ubi vel ex neglecta medela, vel ex refractaria, quæ quandoque obtinet, indole non diſcutitur, cum majori, minori moleſtia in ſenium usque toleratur; tum autem recedens tumor mortis imminentis fit nuncius. Quod in ſcirrhum quandoque degeneret, fides ſit penes Autores *b*).

a) vid. Opera ſæpius citata T. I. pag. 59.
b) *Schelhammer* l. c. pag. 65.

§59. Ad therapiam devolvor. Depoſitio quidem critica ſi incompleta fuerit, & morbum primarium in totum non amoverit, huic primum & illico obviam eundum eſſe cenſeo. Materia enim depoſita quod iis ſcateat moleculis, quæ olim ſanguini admixtæ febrim accendebant, valde probabile videtur; & eædem iterum reſorptæ quantas effecturæ ſunt turbas *a*)? Certe ſuperſtite febre purgantibus hydragogis tumoris diſcuſſionem tentare, periculoſum eſt. Fuſius hoc non declarabo, cum paſſim jam noxas ex incauto purgantium uſu oriundas narraverim, & ipſum ubique atro carbone no-

 tent

tent peritiſſimi Practici. Nec niſi caſu proficua exiſtimo Externa, quæ validam in fibras virtutem exercendo, fluidum œdematoſum intra vaſa circulantia repellunt *b*).

a) Hinc repetenda videtur miſeranda conditio ægri ſequentis. Adoleſcens ex quartana autumnali laborans, altero menſe metaſtaſin incompletam patiebatur; febris tum in duplicatam abibat, paroxyſmis minus vehementibus conſpicuam. Primo intumuerant pedes, ſed non obſtantibus medicamentis hydragogis creſcebat tumor, ut abdomen quoque phlegmate obrueretur, donec continuata diu aquas expellendi methodus tandem ſatis efficax erat, & notabile contingebat tumoris decrementum. Verum per metaſtaſin aliquam nervoſam hydropem terminatum fuiſſe puto; æger quippe mœſtis anxiiſque mentis cogitationibus per intervalla agitabatur, aliena loquebatur, & neſcio qua de cauſa ad ſupplicium ſe raptum iri dictitabat. Interim febris ſtato tempore recurrere pergebat.

b) Huc ſpectat caſus, quem Fr. *Hoffmann* recenſet loc. cit. Sect. I. Cap. II. obſ. 2. quod œdemate per externa diſcuſſo, poſtea tamen redierit febris, & æger hydropicus factus extinctus ſit.

§60. Quando autem metaſtaſis completa eſt, vel veſtigia morbi febrilis legitime deleta ſunt, de diſcutiendo œdemate cogitare tuto licet. Ill. van Swieten nimis timidus cathartica reformidat, frictionem partium tumentium, & vini medicati ex amaris roborantibus & aromaticis uſum ſuadet *a*). Sic quidem fiet interdum, ut excitatis naturæ viribus ſuperetur malum ſecundarium. Sæpius tamen iis non auſcultat, tumque nullus dubito, cum Sydenhamo *b*) ad Cathartica confugere. Quamvis enim hæc ipſa per febris decurſum incaute repetita metaſtaſi anſam præbuerint, ſoluta tamen febre ejusmodi ſuſpicionem non amplius incurrunt; nec tum temporis morbum primum, uti quidem in œdemate ſymptomatico §43, reducere ea obſervatum eſt. Ægri ſimul ea ſolet eſſe conditio, ut validiora hæc pharmaca facile ferat. Qualia præcipue exhibere conveniat cathartica, pluribus docet ſæpius citatus Sydenham in tractatu egregio de Hydrope *c*).

a) l. c. T. II. ad §753.
b) l. c. pag. 59.
c) ibid. pag. 335.

§61.

§61. Sunt alia œdemata, ubi neque hæc procedit medicatio. Utcunque Naturam per purgantia sollicitare, materiam œdematosam ex loculis tunicæ adiposæ evocare, & per intestinorum tubum ejicere allabores, in cassum tamen adhibentur omnia, & persistunt tumores. Causam hujus phœnomeni quæsierim in indole phlegmatis, resorptionem per oscula reducentia respuentis. Etenim medicaminibus heic commendandis, quæ humorum, & præcipue phlegmatis nostri viscidítatem attenuabant, exoptatam sanationem omnino obtentam fuisse, observationes docuerunt. Ne theoretica aversari videar, brevibus argumentis hanc phlegmatis critice depositi tenacitatem illustrare juvat.

§62. Sive massæ sanguineæ, sive fluido nerveo, sive succo pancreatico, sive alii cuidam humori potius inhæreat miasma febrile; varia quidem in diversis febris speciebus ejus est mixtio ratione qualitatis æque ac quantitatis: ratione autem cohæsionis semper & ubique eo peccare videtur vitio, quod Pathologi Tenacitatem Mucosam, seu Viscíditatem appellant. Scilicet persuadent id: sanguis ex vena ægri febrientis detractus, quem crusta crassa, mucosa obductum intuitus sum; sanguis ægri a febris impetu morientis, qui in gelatinam tremulam per omnes venas coivisse visus est *a)*; victus glutinosus, aliæque potentiæ, quæ humores inviscant, & inter causas intermittentium procatarcticas militant *b)*; eædem potentiæ continuato errore admissæ, quæ febrim reddunt graviorem, contumaciorem *c)*; medicamenta attenuantia, quorum virtus antifebrilis satis explorata est *d)*; & denique dicta tenacitas eleganter servit pluribus enodandis phænomenis, in febre obviis. Suffragia quoque celebriorum Medicorum in hac re excitare liceret *e)*. Quis itaque dubitabit, simile esse vitium phlegmatis, per crisin in telas cellulosas congesti.

a) *Haller* prim. lin. §156.
b) *Ludwig* Instit. clinicæ §72.
c) ibid. §76.

d) ibid.



d) ibid. §92.
e) Conf. *Bœrh.* aphorifm. 755, & van *Swieten* Commentar.

§63. In hoc rerum ftatu prudens Medicus e penu pharmacevtica promet, quæ humores vifcidos diffolvunt, fibrasque blandis incitant ftimulis, diurefin ac diaphorefin excitant. Pro ufu interno magnæ virtutis effe cognovi Salia mediæ naturæ, præfertim cum principiis vegetabilium amaricantium v. c. in infufis juncta. Vere polychreftum in multis ægris obfervavi Sal Ammoniacum, largiori dofi dandum. *a)*.

a) Hoc inter fpecifica numerant antifebrilia. Conf. W. W. *Muys* differtatio de Salis Ammoniaci præclaro ad febres intermittentes ufu, & *Werlhof* l. c. pag. 44.

§64. Eundem effectum etiam machinamur mediis Refolventibus Externis, tam iis, quæ vi mechanica nexum molecularum firmius cohærentium deftruunt, cujus generis funt Frictiones; quam quæ intra vafa cutis bibula recepta, humores quibus commifcentur, incidunt, & partium firmarum vim vitalem inftigant, uti Balnea virtute plantarum refolventium, difcutientium, & Salium lixivorum imbuta.

§65. Per therapiam hanc eo perfæpe res ægri deducuntur, ut fubjuncta alibi Confortantia, alibi Cathartica fanationem omnino perficiant. Sin tum non difcutiatur œdema, vix quicquam fpei fupererit, fed permanens habetur tumor, quem æger ut exactiori regimini mancipatus cum patientia ferat, monendus eft.

§66. Forte tamen quis phlegma accumulatum incifione, beneficio cultri chirurgici facta evacuare fatagat. Fateor, non plane omni ratione deftitui hunc medendi modum. Proftant exempla hydropicorum, quibus fpontanea ruptione aqua effluxit, & fanitas rediit *a)*; nec defunt Chirurgi, qui medicationem hanc imitati voti fe compotes factos effe gloriantur *b)*. Verum de noftro nominatim œdemate nulla reperio inftituta pericula; nondum fatis explorata eft conftitutio phlegmatis, an

an ejus ſit conſiſtentiæ, ut per vulnus inflictum emanare absque difficultate poſſit? annon quandoque ejus ſit, vel accedente aëre fiat qualitatis, ut vulneris conſolidationem impediat, & ulcera mali moris generet? Ex his rationibus ancipiti & incerto Scalpello ego quidem vix fidam.

a) Vid. ab *Haller* Elem. phyſiol. T. I. pag. 14.

b) Proſp. *Alpinus* de Medicina Ægyptiorum L. III. Cap. 13. tradit, quod veteres Ægyptii homines hydropicos pharmacis quidem non vexarint, ſed introduxerint per cutim acus fila trahentes, reliquerint in vulnore fila, ne coaleſceret, ita aquam continuo fluxu diu noctuque effluxiſſe omnem.

§67. Oedematum, quæ duplicis, vel plurium cauſarum ſoboles ſunt, quæ ideo §36 *Compoſita* vocavi, multa dantur genera. Ego cum ſpatii habenda ſit ratio, bina tantum, quæ curatius notare mihi licuit ex ipſorum numero proponam. Primum eſt, quod de Symptomatico æque genio ac de Metaſtatico participat; alterum ex parte Febri, ex parte Infarctui viſcerum abdominalium debetur.

§68. *Prius Genus* vel in principio Symptomaticum fuit, & ſuperveniente metaſtaſi, ex mutato morbo primario cognoſcenda §49, talem demum induit conſtitutionem; vel quod Metaſtaticum erat, Compoſitum redditur, accedente ſuis ex cauſis ægri imbecillitate; vel denique ſubito quaſi infertur tale, quando homines imbecilles metaſtaſin experiuntur.

§69. De utraque cauſa prædiſponente, Imbecillitate atque Metaſtaſi, plura non addam. Nec occaſionales cauſas ſupra expoſitas repetam: inter haſce tamen potiſſimum animadvertendam moneo nimiam a nutrimento abſtinentiam a).

a) Quantopere tenuis nimisque exacta diæta, in qua multi tantam fiduciam ponunt, noceat in intermittentibus, prolixe probat van *Swieten* Comment. T. II. ad §762.

§70. Curatio ſæpe obtinetur Roborantibus aromaticis, quibus unum alterumve Purgans interponitur. Tutior tamen, licet magis lenta medendi via eſt, qua remediis Diaphoreticis utimur, iis ſcilicet, quæ ſimul roborandi vi pollent. Hujus

 cenſus



cenſus ſunt, quæ præſertim regnum vegetabile magna in copia largitur, Amaricantia atque Amara. Hæc non tantum debilitatis primis viis egregie proſpiciunt, ſed etiam quoad principium ſuum gummeo-reſinoſo-oleoſum decenter ſoluta, & per lactea, aliaque inhalantia vaſa ad humores circulantes delata, ſingulari ſtimulo fibras inſtigant, unde harum contractiones vividiores redduntur atque validiores, ſolida confortantur, humores commoventur, attenuantur, & excretio noxiorum maxime per poros cutis promovetur.

§71. Perſpirationem iſtam cutaneam apte etiam augemus adhibitis Externis; v. c. partem tumentem vel linteo calido ſæpius fricantes, vel pulveribus ſiccis farinoſis, ſale decrepitato, herbis aromaticis bene ſiccatis, cet. in forma epithematis impoſitis foventes.

§72. Oedemata, in quibus & *Viſcera infimi ventris Infarcta* atque tumida, & febris *Intermittens* ut cauſæ debent reſpici, intumeſcentia atque duritie abdominis internoſcuntur. Decumbens æger, ſitumque corporis mutaturus obſcurum frequenter ponderis cujusdam ſenſum in ventre percipit. Alia inſuper haud raro incommodant ſymptomata, v. c. anorexia, alvi vel conſtipatio, vel profluvium, aliaque pathemata conſenſualia. Plures autem ſunt œdematis ſpecies, quæ ut intelligantur, pauca de iſto *Infarctu* diſſerere operæ pretium eſt.

§73. Tumores quidem illos atque duritiem abdominis veros ſignificare Infarctus vel Obſtructiones, a materia viſcida, in vaſculis viſcerum lentius mota, cumulata ortos, ſequentia ſuadent argumenta: Primo manus explorans viſcera hepatis, lienis tumere ſatis clare ſentit; deinde tumor talis non diſcutitur, niſi appropriatis remediis deobſtruentibus *a)*; & denique niſi matura adhibeatur medela, ſæpe ſæpius ſuccreſcit verus ſcirrhus: uti notat Ill. van SWIETEN, quod in viſceribus abdominis pertinaces obſtructiones naſci obſervatio doceat, quæ quandoque in ſcirrhoſos tumores, vix reſolvendos poſtea mutentur *b)*.

a) Me-

a) Memorabilem aliquem casum, qui ad illustrationem facit, heic narrare licet. Adolescens spongiosi corporis habitus sub finem Augusti 1761 febre anomala corripiebatur. Instituta fuit, nescio quo consilio, venæsectio brachii, & medicamenta data adstringentia. Coercebantur ita motus febriles; verum pedes in regione malleolorum intumescebant, & tumor per integrum mensem usque ascendendo augescebat. Jam in Nosocomium Argentinense æger recipiebatur. Tum temporis Oedema pedes fere totos occupaverat, abdomen præsertim ad hypochondrium dextrum durum erat; præter lassitudinem autem, adpetitum prostratum, & leviorem æstus sensum, per noctem perceptum, vix notabilia urgebant symptomata. Exp. D. *Bœhm* præscribebat pillulas scilliticas, & postea valida hydragoga, quibus etiam stimulus gummi guttæ adjiciebatur. Sed in cassum hæc refractario malo opponebantur. Et miranda pedum amplitudo, scrotum tertia fere parte naturalem magnitudinem excedens, omnis corporis superficies tumida, aqua in cavum abdominis profusa, strictura præcordiorum, dyspnœa, tussis sicca, atque urinæ reddendæ difficultas res ægri in ancipiti versari testabantur. Prudenti tamen ex indicatione nihil aliud tentabatur, quam ut referentur obstructiones. Exhibebatur itaque per octo dies infusum ex vegetabilibus Amaris, atque Millepedibus & Sale mirabili Glaub. Postea subjungebatur Sal Ammoniacum ad drachm. j. mane & vesperi ingestum, additis decoctis diureticis. Hujus salis usu per sex dies continuato, nec hydropis scroti & ascitis, nec duritiei abdominis supererat vestigium. Omnia symptomata evanescebant post propinatum Purgans, & Confortans stomachicum; & pedum tandem œdema vapore Aceti prorsus discutiebatur.

b) l. c. T. II. ad §753.

§74. Illustr. quidem van Swieten *a)* malum in liene hærere negat, quia cito sæpe solvatur: potius contendit, quod Colon intestinum infarctum & tumens circa lienis regionem, ubi inflectitur illud intestinum, scirrhosum lienem mentiatur. Verum si incipiens est infarctus, necdum vere stagnat materies, quid impedit, quo minus iste æque facile iterum solvatur ac in hepate, materia in motum fortiorem acta? Deinde, si inveteratum malum, atque vera & consummata est obstructio, difficulter & crebro prorsus non amplius istam reserari, quotidie observamus. Nec obstat, quod tumores isti abdominales purgantibus aliquoties repetitis interdum dissipentur *b)*. Qua enim ratione purgantia, quæ fibras tubi intestinalis irritando

 actio-



actionem exercent, obstructiones aperire valeant, nulla premitur obscuritate.

a) l. c. ad §753. *b*) ibid.

§75. Distinguendi sunt nostri *Infarctus* in *Symptomaticos* atque *Metastaticos*. Priores respectu essentiæ atque tenoris febris nihil mutationis inducunt; hosce superiori hyeme Argentorati notavi plurimos. Per Metastaticos contra febris modo vere solvitur, modo conspicua ratione mutatur. Hi sunt, de quibus asserit SYDENHAM *a*), quod iisdem gradibus, quibus hoc symptoma supervenerit, febris etiam fugam meditetur.

a) l. c. pag. 60.

§76. Quo jure tumores viscerum abdominalium causis œdematum antecedentibus annumerentur § 18 & 19 evictum fuit.

§77. Febris, quæ alteram compositi mali causam sistit, vel ex imbecillitate, vel ex metastasi contribuit. Utriusque dispositionis effectus, diagnosis, atque causæ satis demonstrata sunt in antecedentibus.

§78. Itaque nunc aliquæ addendæ sunt potentiæ, quæ ut viscera infarciantur, occasioni esse consueverunt. Ill. van SWIETEN *a*) originem obstructionum hepatis repetit à sanguine venæ portarum crassiori, per diuturnas febres liquidissima parte orbato. Ita quæcunque febres reddunt diuturnas, hoc loco criminandæ sunt potentiæ. Certe efficaces hæ sunt respectu mali Symptomatici.

a) l. c. T. II. ad §753.

§79. Intuitu mali Metastatici tanquam maxime noxia per observationes Practicas probantur medicamenta Adstringentia, atque Aqua Frigida tempore æstus febrilis ingurgitata. Ad Adstringentia etiam refero celebratum illud specificum antipyreticum, corticem Peruvianum, non quod oderim præstans pharmacum, sed quod cum judicio discretivo in usum vocandum putem. Hæc imprudenter & largiori dosi tum propinata, quando primæ viæ nondum sunt expurgatæ, & miasma viscidum per humores diffunditur, omnino vituperanda censeo. Etenim vasa contrahendo, humores magis incrassando,

ſando, motum progreſſivum impediunt, & infarctus, verasque generant obſtructiones, ac Naturæ obſtaculum opponunt vix ſuperandum.

§80. Haud multum diſpar eſt ratio Potus Frigidi. Ab hoc augetur quidem fibrarum cohæſio, ſed cum calore naturali vis vitalis minuitur, & fluida ſpiſſeſcunt; unde ſimilis, qui Adſtringentium, effectus, & motuum Naturæ ſalutarium perturbatio.

§81. Periculo nunquam carent hæc œdemata. Magis quidem funeſta æſtimantur, ſi obſtructiones ſunt ſymptomaticæ. De his pronunciat van SWIETEN *a*), quod pejor longe hydrops poſt febres diuturnas ſequatur, ſi ſcirrhoſæ obſtructiones viſcerum ipſum fecerint. Ut plurimum ſuccedit hydrops Aſcites, cui quando inveteravit, difficulter ſuccurrit medicina. *b*)

a) l. c. ad §753. *b*) Conf. *Lommius* loc. cit. pag. 185, & 192.

§82. Indicationes rationales formaturus, de utraque antecedente cauſa legitime removenda ſollicitus eſt. Prima quidem cura convertatur neceſſe eſt ad viſcera infarcta. Viſceribus enim chylopoeeticis præter naturam conſtitutis bona & perfecta criſis neutiquam perficitur *a*), nec perſanatur febris. In ſymptomatico malo humorum viſciditas, partiumque firmarum imbecillitas Reſolventia exigunt cum Roborantibus jungenda, pro ægri conditionibus ſæpe diverſa. In Metaſtatico contra infarctu potior ſpes in Attenuantibus ponitur.

a) vid. *Wegelin* Diſs. de Metaſtaſi. pag. 7.

§83. In tranſitu quoque notaverim, me minime ridere practicos, qui juxta deobſtruentia interna etiam commendant Unguenta Diſcutientia externe abdomini tumenti illinenda. Viam rationemque operationis eorum licet non ubique diſtincte capiam; obſervationibus tamen & ſummorum virorum præceptis *a*) fidem habere nullus dubito.

a) vid. van *Swieten* Comment. T. II. ad §753.



§84. Sic una cum vitio viſcerum frequenter ſubigitur Febris. Sin reſtitet, ſuis jam Antidotis extinguenda eſt; Oedemata autem diſcutiuntur medicationibus ſupra probatis: alibi illa, quæ per tubum inteſtinalem, alibi autem, quæ per poros cutis aquam exturbat, nec poſthabitis remediis Externis.

§85. Superſunt Oedemata Compoſita, quæ cum & febrim Intermittentem, & alios diſtinctos à febre Morbos cauſas antecedentes habeant, partem Diſſertationis conſtituere debebant. Infinito ea poſſibilia ſunt numero, pro morborum multitudine conjunctim cum febre urgentium, & quoad eſſentiam ab invicem diverſorum. Differunt etiam iſta multis modis, quatenus febris vel per conſenſum, vel per metaſtaſin ad ipſorum conſtitutionem confert, atque ceteri morbi, vel inferendo naturæ imbecillitatem, vel retardando refluxum venoſum, vel denique vitiando humorum mixtionem. Veruntamen, cum unicum tantum eorum obſervaverim ipſe genus, quo Febri jungebatur *Scabies*, & modica librorum ſupellex hunc experientiæ practicæ defectum non ſuppleat, finem jam imponere conſultum videtur, rivulosque claudere.

DOCTISSIMO DOMINO AVCTORI

DISSERTATIONIS HVIVS

S. P. D.

PRÆSES.

R*ecipe: Tabellionem* j. *Teſtes nro* vij. *adde ſacerdotem cum aqua & oleo benedictis, q. ſ. diſpone domi Tuæ, & moriere; formula eſt, quam in libello ſcripſit de incertitudine, & vanitate omnium ſcientiarum, & artium, aphorismo de Medicina Operatrice, p. 449. edit. de anno 1714.* Cornelius AGRIPPA, *illud argutum*

gutum non tam scientiarum, artiumque, quam earundem Magistrorum individuorum flagellum, (utinam religioni pepercisset!) quod ibidem ita præludit: Medici, si paulo religiosiores fuerint, hoc extremum præscribunt pharmacum. Inveni nuper, sub significatione minus feriente Medicos, Tuam vero ad dissertationem propius pertinente, cum aliqua mutatione ita repetitam hanc formulam: Rec. Testes num. vij. *Fossores cum ligonibus num.* ij. *Vespillones num.* v. *sacerdotem cum aqua & oleo benedictionis num.* j. *dispone domi tuæ, & moriere. Talem scilicet exscripsit Agrippæ formulam* Joan. Henr. de HEUCHER *in suis operibus, quorum editionem anno seculi currentis XLV. curavit* HÆNEL, *Tom. I.* Caution. *in cognoscendo, curandoque hydrope necessariarum* quinta, *p. 108. seq.*

Ipsam cautionem his exprimit verbis: Cave, ne sis nimis tumidus, neque nimis timidus in prædicendo hydropis eventu! *Medioque sub flumine argumentorum, quibus posteriorem cautionis partem ipsa suffulcire nititur experientia, inter alia scribit:* Sorbaitus *imitandus potius, qui ad Hydropicum vocatus, cum Medici quatuor non incelebres illud C. Agrippæ præscripsissent, tamen desperare noluit, sed pulsu arteriarum tali animadverso, qui mortem nondum denunciaret, curationem magno animo, maximaque spe pleno aggressus ægrum præter omnem spem, atque exspectationem omnium Medicorum, ab hisce Prognostico relictum, in pristinam restituit sanitatem. Ad vim vitæ, subjungit* HEUCHERUS, *Naturæve respexit Medicus sagacissimus, quæ, ubi superior morbi vi fuerit, raro solet destituere audaces; unde paulo post adjicit: Usque adeo verum est, in desperatissimis casibus non esse desperandum, cum sæpe, præter opinionem, tales in corporibus ægrotantium oriantur* conversiones, *quæ vel invito Medico, & omnem despondente animum, ægrum bene valere jubeant.*

Nonne vero conversiones hæ, de quibus HEUCHERUS *loquitur occasione pertinacissimi morbi chronici, hydropis puta, qui tantam, totiesque crucem figit Medicis, ut non inepte illorum scandalum appellare soleant, sunt ipsæ illæ Tuæ* crises, *quas ultra sphæram acutorum in hoc specimine Tuo extendis? quasque vis vitæ, Naturæve, vi*

morbi



morbi superior, in exemplis non adeo raris excitare potest, & solet in solatium ægrorum, quod spem relinquat evadendi e faucibus Erebi? sunt procul dubio! Aliud autem inde corollarium prono fluere alveo intelligo, nimirum hoc: plurimum interest, nosse illam vim vitæ, Naturæve, perspectas habere conditiones ejus omnes, æstimare illas, & comparare cum vi morbi, ejusque conditionibus, hinc eruere mensuram, quæ alterutra sit superior vis? cognita habere media, quibus morbi vis frangi, vitæ vis conservari, & instaurari, vere augeri prudenter possit? His momentis omnibus bene attentus Naturæ Minister, felicissimus erit Practicus, certe tutius illos præternavigabit asperrimos scopulos, ad quos cum feliciter sæpe acta est vitæ navis, opinione citius naufragium humana salus patitur.

Observavi mira cum voluptate, hanc Tuam dum perlegi Dissertationem, premere Te sollicite ubique Naturæ vestigia, & vigilantissimum ejus ut motuum, ita & horum directionum speculatorem in morbis esse, quare non tantum confido prorsus, reportaturum esse Te meritam ex hoc specimine Tuo eruditionis medicæ gloriam, verum & prosperrimam Tibi præsagio praxin, hoc ubi tramite perrexeris, qui per vias ducit serenissimas, practicosque pedes munit a præcipitantiæ lapsu, facem præferente solidissimo experientiæ prudenti timiditate collectæ cum ratione connubio. Quamobrem impense gratulor & serio Meritissimo & Clarissimo Domino Parenti Tuo de Te, filio undique optimæ spei, egregiæ hactenus auctæ morum elegantia & probitate, quæ profecto meo in animo non minus valet, ac eruditio, mortua, certe periculosa sine ista, maxime in Medicinæ Candidatis.

Atque his paucis valere Te omni ex parte jubeo, iterumque valere, Tu vero me amare perge! Scripsi e museo meo D. XI. Oct. A. R. S. MDCCLXII.

